

remissa sunt multa peccata, quoniam *dilexit multum*: multa ergo dilectio requiritur pro delendis peccatis. Praeterea tunc ei remissa sunt peccata, cum Christus dixit ei: remittuntur tibi peccata tua; ergo hactenus haeserat in statu peccati, et tamen ardentem iam amabat et fervebat caritate: ergo non omnis caritas delet peccata. Hoc altero argumento utitur quoque Baius l. c.

Cyprianus epist. XX ad Caldonium Episcopum, et epist. LIV. ad Cornelium Papam, supponit poenitentes ante absolutionem Deum vera caritate diligere, et tamen adhuc esse sub diaboli potestate donec absolvantur: ergo non putabat Cyprianus omni caritate deleri peccata.

Augustinum iam audivimus; addimus tamen et ista verba, quae ipsi urgent ex eodem tract. XIII in Ioannem sequentia ad verba citata: « Quomodo non caruit populus Israel populo Aegyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum, sic pressuris peccatorum nemo caret (addit haec intra parenthesim Iuvenin: *ordinarie*, seu extra necessitatis casum, quae est methodus satis expedita interpretandi) nisi cum ad fontem baptismi pervenerit ». Ergo *ordinarie*, h. e. nisi adsit caritas intensa, quae non adeo facile habetur, etsi caritas adsit, quam plures certe catechumeni habent, non remittuntur peccata.

Catechismus Romanus De Poenit. n. 36. ait: « Ut enim hoc concedamus Contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem et incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum sceleris magnitudine aequari conferrique possit? » Ergo contritio delens peccata non est quaevis vel remissa contritio, sed vehemens, acer, incensa, uno verbo, maxime intensa.

Respondeo ad 1^m quoad primam partem. Damus quod dilectio peccatricis mulieris fuerit amor Dei propter se super omnia, quod indicari videtur a Christo, qui dilectioni fert acceptam remissionem peccatorum: quamvis Christus ex plenitudine suae potestatis potuerit remissionem conferre solo existente amore concupiscentiae, sicut nunc per Sacramenta confert sola existente attritione.

Verum 1) si quia Christus dixit *dilectio multa*, colligunt necessariam esse dilectionem multam; cur non colligunt eam esse necessariam tantum pro peccatis multis? non enim Christus dixit tantum: remittuntur ei peccata, quoniam dilexit multum, sed peccata multa; ut satis manifesta sit oppositio, quam Christus notare voluerit inter peccata mulieris eiusque amorem. Explicanda est ergo ab illis huiusmodi oppositio, cur nempe Christus non dixerit simpliciter, *remitti peccata propter dilectionem multam*, quae est sententia eorum, accepta voce *multum* pro *intensa caritate*, sed dixerit *remitti peccata multa, quoniam dilexit multum*.

Porro 2) licet non uno modo nobis hanc expedire difficultatem. Sane a) *dilexit multum* denotat amorem perfectum caritatis, h. e. Dei propter se dilecti et excessum caritatis appretiativum; multum enim Deum diligit, qui non solum prout est bonus sibi, sed prout est in se bonus eum diligit eumque omnibus efficaciter praefert.

b) Etsi *caritas multa* sit caritas quoad gradus intensa, significat quidem Christus eam historice fuisse *causam*, sicut historice exstiterant reapse multa peccata, sed non significat eam fuisse *causam necessariam*. Multum vero interest inter causam et causam necessariam. Si enim quis alterum intensissime amat, dicere alter potest se illum redamare propter eius intensissimum amorem, non quatenus, nisi intensissimus esset, non redamaret, sed quatenus amor, qui causa est redamationis, est reapse amor intensissimus. Cum ergo illa mulier vero multum amaverit et amor eius fuerit causa remissionis, si res historice spectetur, causa remissionis non fuit quicumque amor, sed amor multus: atque hoc Christus testari voluit. At Christus non dixit quod, nisi multus fuisset amor, peccata remissa non fuissent.

c) Si *multa caritas* est caritas intensa, potest haberi quoque ut causa necessaria remissionis, sed illius remissionis, quae peccatrici illi collata sit, quae fuerit nempe remissio non tantum culpa, atque poenae aeternae, sed et poenae totius; ad hoc enim non omnis vera caritas sufficit, ut docebimus in sequentibus.

Ad alteram partem respondeo 1) Christum reapse voce praeterita usum esse ἀφεωνται αι ἀμαρτιαι αὐτης; ἀφεωνται σου αι ἀμαρτιαι, remissa sunt peccata eius: remissa sunt tibi peccata. 2) Vox verbi praesentis non ad unum tantum instans temporis physicum praesentandum coarctatur, sed extenditur ad quoddam tempus, quod unum sit vel concipiatur, quatenus una est completa actio, quae agitur quaeque ex pluribus subordinatis et successivis actibus coalescit. Etsi ergo Christus dixerit in praesenti *remittuntur tibi peccata*, non id necessario significavit, quod in eo physico instanti, quo verba proferebat, remitterentur peccata: sed quod eo tempore, h. e. ea in actione, quae ab accessu mulieris incepit, peccata eius remittebantur.

Cypriani sententia his verbis epist. XX. continetur. « Recte sensit circa impertiendam fratribus pacem, quam sibi vera poenitentia et Dominicae confessionis gloria reddiderunt. Cum ergo abluerint omne delictum, et maculam primam, assistente sibi Domino, posteriore virtute deleverint iacere ultra sub diabolo quasi prostrati non debent ». Notat ultima verba Iuveninus eaque urget. Sed quid inde infert? nimirum hos fratres, quibus nondum ab Ecclesia data

erat pax, adhuc esse sub potestate diaboli, h. e. in statu peccati mortalis, quamvis veram poenitentiam egerint, ideoque habuerint veram contritionem. Verum concedimus quidem eos egisse veram poenitentiam, ideoque et habuisse veram contritionem (id saltem supponebatur) et eam contritionem et poenitentiam, quae ante absolutionem exigebatur. Quis vero dixit Iuenino Cyprianum postulasse perfectam caritatem? Sic illi poenitentes dicuntur iam *abluisse delicta sua*, h. e. quantum in ipsis erat, fecisse quo disponderentur ad remissionem impetrandam peccatorum. Secus non satis cohaerentia Cyprianus affirmaret.

Altera in Epistola Cyprianus monet instante persecutione debere Episcopum reconciliare et ad communionem admittere eos poenitentes, qui parati sint pro Domino pati, ut armentur et corroborentur ad praelium. Id quoque ex eo probat, quod « si relictis omnibus suis fugerit et in latebris atque in solitudine constitutus in latrones forte incurrerit, aut in febribus, aut in languore decesserit, nonne nobis imputabitur, quod tam bonus miles, qui omnia sua dereliquit et contempta domo, parentibus ac liberis, sequi Dominum maluerit (hic more suo inserit Iueninus parenthesis: *ac proinde qui inchoato saltem Dei amore super omnia flagrarit*) sine pace et communione decedit? Nonne nobis vel negligentia segnis, vel duritia crudelis adscribetur in die iudicii, quod Pastores creditas et commissas nobis oves nec curare in pace nec in acie voluerimus armare? » Verum quis docuit Iueninum quod malle sequi Dominum sit semper actus caritatis, illius nempe, de qua ipse agit, h. e. amoris Dei propter se et super omnia? Nonne id fieri potest ex solo amore concupiscentiae? imo nonne id statuere quis potest ex solo timore poenae aeternae? Nihil est profecto heic quod illum amorem demonstrat. Sed satis aperta est sententia Cypriani, qui docere vult quodnam sit officium Episcopi erga suas oves. Nimirum quamvis certum sit contritione deleri peccata, Episcopus tamen tenetur ea media adhibere iisque remediis succurrere ovibus suis, quae Deus posuit in sua potestate; cum praesertim nunquam Episcopo constare possit de contritione alterius, et qui contritus est, teneatur ex lege Christi absolutionem et communionem petere et ius ad eam habeat. Si secus faciat Episcopus, vel crudelitatis vel negligentiae reus habebitur. Quid porro haec ad nostram quaestionem? Prorsus nihil.

Ad Augustinum quod spectat, liquet 1) ea verba retorqueri posse contra adversarios: nam si quid contra nos probarent, probarent quoque vel intensissima caritate et contritione non remitti peccata; quod tamen adversarii negant. Voluit quidem Iueninus hanc cavere retorsionem illa inserta parenthesi, sed hic mos interpretandi insertis per pa-

renthesim novis conceptibus hoc unum probat neque ipsi adhibenti testimonium rationem suppetere, qua evincat illud testimonium sibi favere. Itaque sensus horum idem est ac in praecedentibus, quibus declarandis adhibetur. Cf. praeced. thesim, ubi ea expendimus. Ceterum, quandoquidem etiam deletio per contritionem peccato, manet adhuc obligatio confitendi, cui si non fiat satis, rursus peccatur, dici adhuc potest sub hoc respectu nondum ille homo plene liberatus a peccatis suis, quatenus adhuc urgetur obligatione et quidem gravi orta ex iis peccatis, quam plenam liberationem per Sacramentum assequitur. A *pressuris* ergo peccatorum prorsus ope Sacramenti liberatur peccator.

Ad auctoritatem Catechismi Romani respondemus certam esse eius doctrinam traditam paulo ante (n. 28.), quod contritio vera et efficax esse potest, quin sit vehementissima. Cum enim dixerit: « sit praeterea (contritio) non solum maxima (quoad appetitionem) sed est vehementissima (quoad affectum sensibilem) atque adeo perfecta omnemque ignaviam et socordiam excludat », subdit: « quamquam si id minus consequi nobis liceat ut perfecta sit (eo nimirum pacto quo dictum est), vera tamen et efficax contritio esse potest. Saepe enim usuvenit, ut quae sensibus subiecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant ». Itaque Catechismus, cum contritionem vehementissimam nominat, de intensitate sensibili loquitur, eamque non praecipit nec necessariam docet, sed consulit, tantum ut ad eam assequendam, si fieri potest, nitamur: ergo.

VIII. Nunc breviter de alia opinione quoad spatium temporis. Ut ea omnia in animo existant, quae necessaria sunt, ut ipse sit contritus, naturaliter requiritur aliquod temporis spatium, actus enim fidei, spei, timoris, amoris, recogitatio peccatorum, detestatio, uno physico instanti non fiunt. Sed quaestio est de actu ipso contritionis, et quaeritur utrum durare aliquod tempus debeat, ut efficax sit ad delenda peccata. Mora huiusmodi intelligitur ea, sine qua posset essentia actus integra manere.

Iam vero ut demonstremus nullam determinatam temporis moram postulari in actu contritionis, non est opus aliis argumentis uti, quam praecedentibus. Quibus enim probatur non necessaria certa intensitas, iisdem efficitur non necessaria certa temporis mora. Sane si sufficit actus, qui essentiam habeat verae caritatis, cum essentia eius nullam determinatam durationem exigat, sed in instanti esse possit; nulla determinata duratio erit necessaria. Huc facit argumentum ductum ex Scriptura, ex Patribus atque ex theologica ratione adhibitum in praecedenti parte. Cf. Caelestini et Leonis verba citata in Th. IX. n. 11. quibus docemur vel uno temporis momento veram

cordis conversionem concipi posse. Quae si perpendas, facile intelliges quam recte dictum sit a Iuvenino op. cit. Diss. VI. q. VII. c. 6. a. 7. n. 2. « persuasum fuisse Patribus veram conversionem non esse desultoriam, sed firmam et constantem, saltem ad diuturnum aliquod tempus, ad prudentem existimationem... Haec enim a Iuvenino dicuntur ut demonstret consuetudinarios absolvi non posse, nisi multo tempore, ad viri prudentis iudicium, conversionem operibus probaverint. At Patrum sententia est prorsus alia. Aliud est enim dicere: vera conversio est per se stabilis, non facile mutabilis: aliud dicere: ut vera conversio sit, multum temporis requiritur. Nam vera conversio, postmodum duratura, vel uno instanti concipi potest. Et e contrario fieri potest, ut etiamsi quis in se conterendo multum temporis triverit, post absolutionem acceptam, ingruente aliqua gravi tentatione, statim labatur: mutabilis est enim hominis voluntas. Cf. Th. XXXII. n. 41.

IX. Veniamus ad Estium eiusque interpretationem doctrinae Tridentinae Synodi. Is enim l. c. concedit quidem contritionem caritate perfectam, de qua Tridentinum loquitur, reconciliare hominem Deo, priusquam Sacramentum Poenitentiae actu suscipiatur: contendit vero, Baium in hac re secutus, id neque ordinarie, neque frequenter, multoque minus semper, sed raro fieri. Monet autem id agnatum quoque a Concilio Tridentino, quod non dixit contritionem caritate perfectam hominem *semper* Deo reconciliare, sed *aliquando*. Quaestio est itaque utrum ea caritas, quae potens ex se est delere peccatum, id semper et statim faciat, nec ne. Negant isti moderni eruditi.

Iam vero 1) huiusmodi sententia, non secus ac prior, aliena est a communi sensu universae Scholae. Id testatur Lugus Disp. V. Sect. 8. testis maxime idoneus: « Haec doctrina communiter ab omnibus Theologis indubitanter reiicitur » et infra « quod sit contra Theologos omnes clarius est quam ut probatione vel inductione indigeat ». Idem testatur Bellarminus loco superius citato.

2) Haec est sententia damnata in propositionibus Baii. Docet enim haec sententia posse cum caritate statum peccati manere, quod et Baius docuit; atque non remitti per contritionem peccatum extra casum necessitatis, quae est ipsa propositio 71. Baii: « Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniuncta non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramentorum ». Respondent in his propositionibus sermonem esse de caritate habituali, quae profecto simul esse nequit cum statu peccati. Verum a) legenti omnes propositiones Baii, quae de caritate agunt, satis liquet ibi

sermonem esse de caritate actuali, ut iam ostendimus praeced. Th. At b) aliud praesto est argumentum non minus efficax, quod nobis ipse Baius suppeditat. Certum est enim propositiones has damnatas esse in sensu intento a Baio; atqui Baius non de habituali sed de actuali caritate loquitur in lib. De Caritate. Cf. c. 1.^a et 7.^a Sic enim ipse ibidem c. 1. declarata notione caritatis sub ratione *actus et motus animi*, subdit: « an vero praeter hunc animi motum, qui caritas dicitur, alia quaedam habitualis atque accidentalis qualitas in voluntate ponenda sit, quae etiam caritas nuncupetur, non magnopere contendendum existimo; quia facile intelligi potest non tantum animi motum, sed etiam conformem aliquem habitum diffundi posse in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Sed an in Scripturis sacris reperiri queat distincta et aperta huius habitus mentio sub nomine caritatis, alia quaestio est, quam nihil opus esse duxi hoc loco discutere; quia actu cognito, facile est in habitum cognitionem venire. Nunc loquamur de origine caritatis, quae in animi motu consistit ». Et ita toto libro pergit de eodem subiecto disputare. Quocirca c. 7. cuius titulus est: « quod is animi motus, quae caritas dicitur, remissionem peccatorum praecedere possit » ita exorditur: « Cum quaeritur utrum caritas etiam in iis reperiat, qui nondum consecuti sunt remissionem peccatorum, propter longum alterius partis praeiudicium et quia plerique per caritatem non nisi habitum quemdam intelligunt, quo homini insensibiliter infuso fiat peccatorum omnium remissio et qui sine remissione infundi non possit; res quaedam absurdissima quaeri putatur, quia apud huiusmodi homines tanquam certum habetur, quod primum in quaestionem venire debuit, nempe an in Scripturis sacris nomine caritatis, talis quisquam habitus sit intelligendus, an potius boni animi motus. Sed qui supradictam Augustini definitionem diligenter attendunt, qua ait: caritatem voco animi motum ad fruendum Deo propter se ipsum et proximo propter Deum, cum aliis testimoniis, quibus manifeste testatur caritatem nihil aliud esse quam bonam voluntatem, qua ad Deum convertimur, facile intelligent nomine caritatis non tam habitum quam motum quemdam debere intelligi, a quo boni esse dicimur ». Et sane absurda esse quaestio, et ipse Baius, ut ex hoc testimonio liquet, absurdam esse concedit, quaerere nempe, utrum cum habitu caritatis possit simul esse status peccati, nisi quaestio fiat de aliqua possibilitate secundum potentiam absolutam Dei, quam quaestionem Baius ne cogitavit quidem. Itaque cum eae propositiones damnatae sint « in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento » certumque sit Baium et proinde etiam eos, qui cum eo sentiebant, locutos esse de caritate

actuali, idque certe constaret Apostolicae Sedi; dicendum est quod caritas, de qua sermo est in iis propositionibus, et qua negat Apostolica Sedes non remitti crimen extra casum necessitatis, sit caritas actualis.

3) Idem quoque constat ex doctrina Concilii Tridentini. Nam in his verbis: « Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam etc. » adverbium *aliquando* utrique affirmationi non sine causa praemissum refertur ad utrumque membrum prout unum sunt, ac significat aliquando utrumque contingere, non autem contingere *aliquando* primum et, hoc tamen contingente, alterum *aliquando* non contingere. Sensus scilicet est contingere, aliquando ut contritio sit caritate perfecta et ita reconciliet hominem Deo. Quare utique verum est contingere aliquando ut contritio reconciliet Deo, sed quatenus verum est contingere aliquando ut contritio sit caritate perfecta. Non vero contingit aliquando ut contritio caritate perfecta reconciliet, ita ut existens contritio caritate perfecta aliquando reconciliet Deo, aliquando non reconciliet. Tunc enim Concilium, si id voluisset docere, voculam *aliquando* inseruisset inter prius et alterum membrum, (etsi contritionem caritate perfectam contingat aliquando reconciliare hominem Deo), ut contingentia rara effectus contritionis perfectae memoratae significaretur. Ludit ergo in re seria Estius, cum sententiam suam ab ipso Concilio insinuari contendit.

4) Id quoque demonstratur iis testimoniis Scripturae, quibus efficacia contritionis perfectae probatur. Ea enim docent effectum statim sequi eo ipso quod affirmant hanc esse efficaciam verae conversionis sive contritionis; hoc enim posito, ex ipsa rei natura sequitur quod existente causa simul existat effectus; qui enim dicit solem illuminare, opus ne est ut addat effectum hunc adesse statim ac adest sol, ut intelligatur existente sole adesse illuminationem? Tum id docent quoque explicite conceptis verbis, ut Ezech. XXXIII, 12. Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, ἐν ἡ ἄν ἡμερᾶ ἀποστρεψῆ ἀπο τῆς ἀνομίας αὐτοῦ ביום שׁוּבוּ מִרְשָׁעוֹ ביום הַטְּאֵתוֹ in die conversionis suae ab iniquitate sua; et iustus non poterit vivere in iustitia sua in quacumque die peccaverit ביום הַטְּאֵתוֹ in die peccati sui. Ex quibus verbis et hoc aliud argumentum colligitur: quod nimirum non minus differtur effectus conversionis quoad iniquitatem praecedentem, quam differatur effectus peccati quoad iustitiam antevertentem; dicitur enim utrobique, *in quacumque die*: at certum est statim amitti gratiam seu iustitiam per peccatum; ergo et per conversio-

nem, quae fit per contritionem perfectam, statim gratia recuperatur.

Idem quoque colligi potest ex Isaiæ verbis XXX. 15. prout penes LXX leguntur, quae lectio Patribus pluribus probata fuit: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris όταν ἀποστραφῆς στεναξῆς, τότε σωθήσῃ*. Unde auctor libri de vera et falsa poenitentia inter opera Augustini: « credo quidem illi, qui dixit: quacumque hora peccator ingemuerit et conversus fuerit, vita vivet ». Et s. Leo epist. LXXXVIII: « Misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras conversio; dicente Dei Spiritu per prophetam: cum conversus ingemueris, tunc salvus erit ».

5) Et sane urgente necessitate, puta articulo mortis, concedunt tunc propter contritionem caritate perfectam hominem iustificari; atqui hic effectus vel ipsi per se contritioni debetur, vel alicui speciali dispensationi Dei, qui actum secundum hanc ipsam oeconomiam qua regimur, insufficientem, tamen acceptat non secus ac si ille valeret. Iam si primum fatentur adversarii, concedant oportet quod nos contendimus. Alterum vero gratis prorsus asseritur: unde enim colligitur haec specialis dispensatio? et cur si id docent, non docent etiam in his casibus acceptari a Deo attritionem simplicem? Itaque quamvis huiusmodi effectus caritatis, quae iustificat, pendeat etiam ex misericordia Dei, qui contritionem acceptat tanquam idoneum et sufficiens medium ad amicitiam divinam recuperandam; tamen cum haec acceptatio lege quadam universali et constanti statuta sit, nec in Scripturarum testificatione ad instans necessitatis adstricta repraesentetur, effectus iustificationis tanquam proprius et veluti naturalis contritionis est habendus; et proinde sicut posita divina institutione, Sacramenta ex opere operato statim iustificat, ita et contritio, ea posita lege, statim dicenda est ex opere operantis iustificare.

Itaque cum Patres docent caritatem et votum Sacramenti tunc prodesse, seu afferre remissionem peccatorum, cum articulus necessitatis excludit actualem susceptionem Sacramenti (cf. August. verba in fine praeced. thesis), non ita accipienda sunt eorum dicta, ac si tunc solum in eo instanti necessitatis gratia conferretur; sed considerandum est quod ipsi prae oculis habentes praecipue actualem consecutionem salutis aeternae, hoc unum reapse voluerunt docere; nimirum si potest recipi Sacramentum, debere tunc recipi, nec satis esse caritatem ad salutem aeternam; ideoque tunc peccare qui non velit suscipere Sacramentum atque adeo tunc caritatem suam et votum ei prodesse nihil ad salutem aeternam. Quocirca tunc caritatem, quae sola sit, reapse prodesse homini ad vitam aeternam consequendam, cum impossibilis est actualis susceptio Sacramenti.

Cetera argumenta pro hac sententia non differunt ab iis, quae iam in praecedentibus refutavimus. Cf. Lugum I. c.

§ III.

De Contritione imperfecta seu Attritione.

STATUS QUAESTIONIS

I. Cum duplex distingui possit contritio, altera, quae concipitur ex amore Dei, altera, quae ex aliis motivis concipitur praesertim ex timore poenae aeternae: quaeritur quatenam sit ea, quae requiritur et sufficit pro Sacramento Poenitentiae. Triplex est sententia: prima, quae contendit sufficere attritionem ex metu poenarum conceptam absque ullo actu amoris proprie dicti: altera, quae vult requiri contritionem, h. e. detestationem peccati conceptam ex amore Dei propter se super omnia dilecti: tertia, quae docet requiri aliqualem amorem benevolum Dei sive amorem initialem. Est quidem et alia sententia, requiri scilicet ex lege contritionem ex caritate at sufficere existimatam, de qua sententia suo loco seorsim disputandum erit.

II. Circa tres illas sententias est advertendum, auctores alterius sententiae esse eos, quos citavimus superius pro sententia negante omnem actum verae caritatis iustificare. Sane haec sunt capita eorum doctrinae. a) Suscepturis Sacramentum Poenitentiae est necessaria vera caritas divina, nempe dilectio Dei propter se et super omnia. b) Non est necesse quod haec dilectio Dei sit perfecta, nempe ea, quae foras mittit timorem, vel quae est fervida et robusta. c) Haec nempe caritas non fervida et robusta, ordinarie h. e. extra casum necessitatis, coniungitur cum peccato mortali, ideoque non reconciliat cum Deo ante susceptionem Sacramenti. Vides secundum et tertium caput necti logice cum primo; neque posse haec duo negari, si affirmetur primum, posita veritate efficaciae Sacramenti.

III. Tertia sententia patronum celebrem nacta est Cardinalem Pallavicinum, qui eam tradit de Poenit. c. 12. docens attritionem non esse sufficientem, in qua non includatur motivum caritatis, quae sit actus amoris non concupiscentiae sed amicitiae. Ut autem distinguat hanc attritionem a contritione, quae sine Sacramento iustificat, monet duobus modis posse aliquem velle amicitiam Dei efficaciter; uno modo ut diligat Deum super omnia bona possibilis, altero modo ut diligat quidem Deum propter suam bonitatem, sed nondum super omnia; « sicut quis dicitur velle efficaciter emere gemmam, si velit

dare totum id, quod videt necessarium pro emptione gemmae, licet non amet gemmam super omnia alia bona: ita quis dicitur velle efficaciter amicitiam Dei et abstinentiam a peccato, etiamsi non amet haec bona, secundum ipsa, super omnia, dummodo ita amet ut praeferat omnibus, quae sunt vel possunt esse necessaria ad illorum acquisitionem». Negat autem ex hac doctrina sequi quod reddatur difficilis aut valde incertus valor confessionum, quae communiter fiunt a Christianis: « id enim si sequeretur, inquit, potius a nostra sententia recederemus ».

IV. Decretum Alexandri VII. datum die 5 Maii 1667. modum constituit Theologis super hac re disputandi. Ait enim Summus Pontifex accepisse se « non sine gravi animi moerore, Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo, inter se contendere an illa attritio, quae concipitur ex metu gehennae, excludens voluntatem peccandi cum spe veniae, ad impetrandam gratiam in Sacramento Poenitentiae requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam aliis et invicem adversam sententiam censurantibus ». Quare praecipit cunctis prorsus fidelibus « ut si deinceps de materia attritionis praefatae scribebunt vel libros aut scripturas edent vel docebunt vel praedicabunt vel alio quovis modo poenitentes aut scholares ceterosque erudient, non audeant alicuius Theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualem dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum ».

Testatur Antonius Bonetus in sua dissertatione de *Timore poenitente*, p. I. decretum huiusmodi conditum fuisse in gratiam dumtaxat eorum Theologorum, quos tertio loco enumeravimus, qui nempe non amorem super omnia, sed *aliqualem dilectionem* cum attritione requirunt. Additque illud decretum impetrasse ab Alexandro VII. Cardinalem Pallavicinum, ut sententiae suae consulere. Verum et alii Theologi, qui amorem Dei super omnia requirunt; solent illum appellare *aliqualem, inchoatum amorem*, ut nempe distinguant a perfecto sive intenso aut intensissimo amore, cui extra Sacramentum quoque tribuunt ipsi potestatem iustificandi; eaque aetate maxime contentio fervebat inter hos Theologos, qui amorem super omnia postulabant et eos, qui nullius amoris necessitatem vindicabant, ut liquere potest ex dissertatione Christiani Lupi scripta anno 1666 Lovanii.

Porro ex hoc decreto illud certe colligi debet, definitionem fide